

AMERICA.



Eragrato Veteri Orbe, qui humano generi incunabula præbuit, adeundus est Novus. Is America est, ita dicta ab Americo Vesputio Florentino, qui Emanuelis Portugalliae regis auspiciis, à Gadibus anno MDCCCXCVII. profectus, primus ex Europæis, quantum quidem constat, eam ingressus est. Quanquam prior Christophorus Columbus Genuensis an. MDCCCXCI. Insulas Americae Hispaniolam, Cubam, & Iamaicam adierit. Vocatur eadem terra India Occidentalis, quia eodem tempore, quo India orientalis in Asia, hæc etiam detecta fuit: tum quod utriusque incolis similis ac penè eadem vivendi ratio. Includitur magno undique Oceano; ab ortu Atlantico, qui vulgo *Mar del Nort* dicitur; à meridie Magellanico fretum quo ab Australi terra distinguitur: ab occasu Pacifico mari, vulgo *Mar del Zur*. A Septentrione equidem littus Europæi nondum cognitum habent. at concreto perfundi pelago necesse est, cum ab altera poli parte Asia atque Europa ei objaceant: quæ & ipsæ eodem mari alluuntur. Longitudo ejus summa inter duo freta, *Anjan* & Magellanicum mill. Germ. MDCCC. Latitudo maxima inter promontorium vulgo C. de *Fortuna*, juxta Fretum *Anjan*, & promontorium vulgo C. de *Breton* in Nova Francia, mill. MDCCC. Disquiri solet, utrum hic Novus orbis, veteribus olim cognitus fuerit. Qui cognitum fuisse existimant, duo loca ex Platone afferunt, alterum ex Timæo, alterum ex Critia: quibus locis dicitur Insulam fuisse circa Herculis columnas, contra fretum Herculeum, Africa simul & Asia majorem, nomine Atlantidem, postmodum verò terræ motu, ingentique unius diei ac noctis illuvione sub vasto gurgitemersam fuisse: ac inde mare, quod eam Insulam ac Fretum Gaditanum interjacebat, limo impediante, innavigabile redditum. At descriptionem Insulæ Atlanticæ, prout apud Platonem exstat, si accuratius examines, præcipuè, ut in Critia longa oratione describitur, planè fabulosa esse comperietur: Aut si vera sit, non Americam hanc, sed alias Insulas vicinas Hispaniæ, Africæque notari, licet nec tunc quidem omnia, quæ de iis refert, vera esse queant. Narrat Plato Deos inter se partitos fuisse terram, Neptuno assignatam Atlanticam Insulam, ejus præcipuam partem cecidisse primogenito filio Atlanti, unde & mare Atlanticum vocatur. Vnde colligere est Mauritaniam designari, in qua rexisse dicitur Atlas, & in qua citrà fabulam est mons Atlas, à quo nomen habet mare Atlanticum. Filio verò secundo dicit assignatam esse extremam Insulæ partem ad columnas Herculis, & locum nominatum Gadiricum, filium patria voce Gadirum. At hac voce Gadium insula notatur, quæ quo pacto pars sit Americæ non video. Dicit Atlanticos, sive populos istius insulæ bella gessisse cum Atheniensibus, Europam, Libyamque vastasse, pervenisse ad mare Tyrrhenum, idque ante annos novem mille. At, uti ridiculum videtur credere, Americanos in Veteri orbe bella gessisse, exercitus traduxisse, cum Atheniensibus pugnasse, ab iis victos superatosque recessisse, ita & tempus novem mille annorum ipsam mundi ætatem antevertit. Dicit Atlanticos habitasse circà Herculis columnas, à quibus immane quantum distat America. Quod verò asserat Atlanticam Insulam esse submersam terræmotu, ipsa vanitate vanius est. Nam superest adhuc America, vix minor toto Veteri orbe. Falsum & illud, mare extra Fretum esse innavigabile ob limum, quem insula submersa præbuisset. Refert in Insula fuisse Elephantes, quos nunquam America vidit, dicit & equos illic fuisse, & Hippodromum ad equestre certamen, cum equum nunquam habuerit America, antequam ab Hispanis eò translatus esset. Ait etiam nec naves tunc fuisse, nec navigandi peritiam. Quomodo ergo ex Insula ista in Veterem orbem cum numerosis exercitibus pervenere Atlantici? Anne natando? Et postea veluti sui oblitus navium & triremium mentionem facit. Perhibet in Insula ista orichalcum excepto auro fuisse preciosissimum. At illud jam constat multum orichalco pretiosius haberi ab Americanis argentū. Infinita alia in Critia occurrunt, ex quibus evidenter apparet, aut fabulosam esse illam de Atlantide narrationem: aut si vera sit, alium aliquem terræ tractum aut insulam designari. Si extra Fretum Herculeum circa columnas Herculis navigatum fuit ante Platonis tempora, in Insulas Fortunatas aut Azores navigatum oportuit. Et fortè hæ Insulæ una fuere insula, maris tempestatibus disruptæ. Quamquam nec his insulis omnia aptari possint, quæ de Atlantide narrat Plato. Nec defuere etiam, qui non historiam, sed solam allegoriam ibi referri arbitrati fuere. quam allegoriam alii aliter exposuere, uti videre est apud Marsilium Ficinum in Timæum cap. 4. Putat tamen Marsilius Ficinus veram historiam à Platone narrari. Nec repugno. Sed per Insulam illam intelligi Americam mihi nō fit verisimile, tum propter ea, quæ jam ex Platone ipso disputavimus: tum quod priscis illis temporibus, puta aliquot millenis an-

nis ante tempora Platonis ars navigandi præsertim per vasta Oceani ignorata fuerit; præsertim, cum & historiæ testentur, non aulos fuisse homines se committere isti Oceano, qui ab Oriente per meridiem in Occidentem ducit. Accedit & illud, quod summi illi Principes Geographorum Ptolomæus & Strabo disertè scribant, ultrà Hispaniam & Africæ littora, nullam esse terram firmam, atque adeò, quod Ptolomæus in extremo occasu ponat Insulas Fortunatas, ultra quas meridianum alium in terra habitabili nullum dari penitus existimavit. Affertur & alter locus ex Diodoro Siculo lib. vi. cap. 7. quo loco tradit, Phænices, vetustissimis illis temporibus, quum extra columnas Herculis Africæ littora legerent, ingentibus ventorum procellis ad longinquos in Oceano tractus fuisse abreptos; ac per multos dies vi tempestatis jactatos, tandem ad Insulam pervenisse ingentis magnitudinis, in alto Oceani pelago contra Africam, Occasum versus jacentem, cujus solum amænum ac frugiferum & omnibus navigabilibus irriguum, sumtuosisque ædificiis exstructum. Verum quis nescit, primis sex libris Diodorum Antiquorum fabulosa gesta recensere, tum Barbarorum, tum Græcorum. Et unde illi innotuit Americam insulam esse, cum ne nunc quidem hoc constare possit. Quod si vera est narratio Diodori, quid vetat Fortunatas insulas, aut earum unam Canariam describi, in has enim facilè tempestatibus deferri possunt juxta Libyam, hoc est Africam navigantes. Et sanè si Americam designasset, non dicendum ipsi fuisset illam plurium dierum navigatione ab Africa distare, sed plurium mensium. Citatur etiam autor libelli de Mundo, qui ab aliis Aristoteli, ab aliis Theophrasto adscribitur. Tradit hic præter Europam, Asiam & Africam alias esse insulas magnas. Et sunt sanè. Sed an statim per Insulas magnas necesse est intelligi Americam & Magellanicam? Sunt sanè in Oceano præter tres continentes Orbis partes magnæ hic illic Insulæ. Adducitur & locus ex Memorabilibus Aristotelis sive Theophrasti, ubi Senatus Atheniensis prohibuisse dicitur, ne cives in Atlantidem navigarent, patriamque suam desererent. Verum quid de illa Atlantide Insula sentiendum sit, supra dixi. Afferunt etiam locum ex Plinio lib. 2. c. 67. & lib. 6. cap. 32. ubi refert Hannonem Carthaginensem versus occidentem missum novas terræ partes reperisse. At Hannonis iter non fuit in Americam, verum à Carthagine Gades usque vectus hinc juxta Africæ littora caput Bonæ Spei, ut jam vocant, prætervectus in sinum Arabicum venit, in quo itinere Americam ab ipso inventam fuisse ridiculum fuerit asserere. Verum ut tantæ rei major fides adstruatur etiam in medium proferendi poetæ, & quidem Seneca in Medea Actu secundo ubi ita vaticinatur:

*Venient seclis tempora seris,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, & ingens pateat tellus,
Tiphysque novos detegat orbes,
Nec sit terris ultima Thule.*

At vel scivit Seneca jam tunc notam fuisse Americam, & sic vana fuerit prædictio, vel ignoravit, & sic nulla certitudine verum furore poetico & conjectura inani hæc vaticinatus fuit. Et si impletum esse vis Senecæ vaticinium, quid opus est ad Americam confugere, certè non est jam terris ultima Thule, plures insulæ aut continentis partes suprâ Thulen versus Arctum repertæ sunt. Quod ex Marinæ Siculi Chronico Hispaniæ adferri solet, de nummo Augusti Cæsaris effigiem referente & in America in aurifodinis reperto, & ad summum Pontificem misso, fidem non meretur. Mirum enim nummum unicum repertum, & præterea nullum vestigium Romanorum: mirum & hoc, nummum illum in aurifodinis latuisse, nullum postea alium uspiam eductum.

Illud postremò addam, dubium non esse, quin Ptolomæo & Straboni, quibus Geographiam veterem debemus, lecta fuerint illa Platonis, Diodori Siculi, Aristotelis loca, ex quibus cum illi discere non potuerint Americanum orbem, certum est aliter ab ipsis illa loca intellecta esse. Scire etiam velim, si Atheniensibus & Carthaginensibus adeò usitata fuit ista navigatio in Americam, ut necesse habuerint decreto cavere, ne cives eò se reciperent catervatim patriumque solum desererent; qua de causâ & Athenienses & Pœni lucri alias satis cupidi eam navigationem prorsus intermiserint, ita ut jam inde à Græcorum & Romanorum imperio ad superius usque seculum, quo repertus est Novus Orbis, nihil de iis terris vel auditum, vel adnotatum sit. Quam decantata sit veterum scriptis illa Græcorum Argonautarum expeditio in Colchidem, nulli non notum. Nec profectò minus causæ fuisset hanc ex Græcia vel Carthagine in Americam navigationem scriptis celebrari, utpote illa & utiliore & operosiore. Atque hæc ad istam quæstionem sufficiant.

Illud non minus incertum, an Novus hic Orbis cohereat Europæ & Asiæ, an verò sit Insula. Iacobus Chynæus lib. poster. Geogr. nondum satis inquit constat, Insula ne sit Novus Orbis, an Continens; quanquam crebrioribus Geographorum suffragiis receptum sit, esse Insulam. Gemma Frisius c. 30. de Divisione orbis rem in medio relinquit: sed interim tamen ex Pauli Ve-



A M E R I C A.

neti navigationibus dicit probabiliterelici posse , quod sit Insula. Et cum hoc quidem problemate cohæret & illud , Quomodo homines ex Asia , in qua primum creati , in Novum Orbem devenerint , si quidem insula sit ? Ad quod respondet Augustinus lib. 16. de Civit. Dei cap. 6. *Homines multiplicato genere humano ad insulas inhabitandas navigio transire potuisse quis ambigat ?* Est autem Asiam & Americam inter Fretum Anjan , per quod facilis est trajectus.

America par-
tes.

Mediterraneorum Americæ cognitio parum adhuc certa est , maximè ubi in Septentrionem vergit. Maritimæ autem oræ Hispanorum armis subactæ horum Regi parent. Distinguitur America in duas peninsulas, quarum una est Septentrionalior, altera Meridionalior. Illa Mexicana, hæc Peruviana dicta est, exiguo Isthmo alteram ab altera discernente.

Septentrionalis.

America Septentrionalis, quibusdam Mexicana appellatur , à principe totius urbe *Mexico*. Longitudo ejus est inter fretum *Anjan* & Isthmum, quo meridionalis ei annectitur, mill. c1010. Latitudo eadem quæ universæ.

Dimidia ejus pars versus Occidentem æstivum sita, introrsus planè incognita etiam nunc jacet; nec quidquam, præter litora, in ea detectum. Quin & totum Boreale universæ Americæ latus in quantum versus polum extendatur, prorsus latet.

Alterà verò pars in regiones dividitur complures, quarum nomina sunt , Canada , Nova Francia, Virginia, Florida, Nova Hispania, Nova Granata, California; & in Occidentali latere ad fretum *Anjan* duo regna, *Quivira* & *Anjan*, unde freto cognomen.

Meridionalis.

Americæ Septentrionali xx. circiter milliarium Germ. Isthmo annectitur America Meridionalis, quibusdam Peruviana dicta, à Provincia *Peru*, omnium præstantissima. Ipsa ingens peninsula Africaque paullo minor, formâ triquetra in tria panditur amplissima latera. Cuneorum unus Septentrionalem spectat Americam, alter Africam , tertius Magellanicam. Longitudo ejus patet Septentrionem inter & Meridiem mill. Germ. c10. Latitudo summa inter occasum ortumq; 10000. Regiones, quibus distinguitur, sunt hæc: *Castella aurea*, *Bogota*, *Peruvia*, *Chili*, *Chica*, *Brasilia*, *Caribana*, *Guiana*, *Biquiri*, omnes Oceano perfusæ. Intus vero in Mediterraneis, Amazonum regio , *Paguan*, *Picora*, *Moxos*, *Vram*, *Charchas*.

Amnes.

Amnes Americæ præcipui sunt, *Paragnian* fluens per Novam Franciam. *Maragnion*, qui idem fluvijs vocatur Amazonum , per Meridionalem Americam labens. Fluvijs argenteus, *Rio de la Plata*. Hi omnes exonerant se in Mare del Nort. In oppositum verò mare sive Pacificum, quod vocant *del Zur*, nullus (quod mirum est) eximius amnis labitur: tantum inter Californiam & Novam Granadam Caramara fluvijs se injicit in Sinum Vermilium.

Insulae.

Insularum, quæ Americæ ab Oriente objacent , ingens est numerus. At harum nobiliores *Hispaniola*, *Cuba* & *Iamaica*.

Priores duæ ejusdem esse videntur magnitudinis, nisi quod hæc longior, illa latior. Occupat *Cuba* longitudine mill. cxc. latit. xxx. *Hispaniola* long. cxL. lat. LIV. Opida in utraque compluria. Caput Hispaniolæ S. Dominicus: Cubæ S. Iacob ; in hac est *Havana* celeberrimus Americæ totius portus.

Iamaica, quæ Europæis S. Iacobi dicitur insula, implet longitudine L. mill. lat. xx. Caput est *Sevilla*. Secunda ab hac est *Oristan*.

Reperiuntur in his terris Archiepiscopatus v. Episcopatus xxvi i. Academiae duæ , artium omnium & scientiarum cognitione florentissimæ , cœnobîa plus quam 400. Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinianorum, Mercenariorum, Iesuitarum, necnon aliquot Monialium cœnobîa, Collegia, Xenodochiorum infinitus numerus, scholæ plurimæ erudiendæ juventuti dicatæ.

Curia quæ jus dicunt, Hispani audientias vocant, decem hic numerantur. Prima est in civitate S. Domingo. Secunda in urbe *Mexico*. Tertia *Panamensis* fuit , quæ postea translata est in civitatem *de los Reyes*. Quarta in *Confinium* provinciis fundata fuit, & cum minus hic necessaria esse videretur, alio translata est in urbem S. Iago in regno Guatamalæ. Quinta est in urbe *Santa Fe de Bogota* in novo regno Granatæ. Sexta in civitate *Guadalajara*, in novo regno Galiciæ. Septima, in civitate *Quito* in Peruvia. Octava in provincia *de los Charcas*, in urbe *de la Plata*. Nona in Panamade urbe. Decima est in urbe S. Iago in provincia Chiles. Undecima in civitate *Manilla* in insulis Philippinis.

I S L A N

